

# TRACTATUS PRIMUS

## DE DEO UNO, ET TRINO.

P A R S I.

*De DEO uno.*

SECTIO I.

*DEI unius existentia.*

DOG MATA.

I. DEUS existit.

**D**Ogma hoc aliter demonstrabit Theologus, quam Philosophus. Hic solet urgere legitimam consequentiam a singulis creaturis ad omnes, & præcludere vanum effugium ad processum in infinitum. Theologus autem utetur potissimum argumentis moralibus. Ad confirmandos etiam in certa Dei existentis Fide Christianos, agere poterit ex Ss. Scripturis, & Patribus: quamvis adversus Atheos, Deum & Dei verbum negantes, parum futura esset hæc argumentatio efficax.

Argumenta, quibus Doctores quidam orthodoxi, tam prisci, quam recentiores, cum Perezio, Cartesio, & Lullianis, minùs efficaciter convincere videntur Atheos, neque multis impugnabuntur, neque assumentur: non assumentur, ne objectis argumentis non satis gravibus magis confirmetur Atheorum contumacia: non impugnabuntur etiam multis, quia parum faciet ad convincendos Atheos, si quorundam Catholicorum modus probandi infirmetur.

Dogmati huic loco questionis: *An Deum existere, sit nobis notum per se, substituetur hæc utilior: An Dei monitus sit homini naturaliter insitus ita, ut sponte moneretur intus Deum existere, eis nemo doceret foris?* Quâ thesi stabilitâ sequetur veritas Catholica: *In nomine rationis compote est diu inculpata, & insuperabilis Dei ignorantia. Ex quâ & illud erit consequens: Ne Atheo quidem dicenti, se esse Atheum, fidem habendam.*

C

z. Deus

## 2. DEUS est unicus.

Dogma hoc contra vulgus Idololatrarum, & Polytheos, probabitur ex Locis Theologicis octavo, & nono. Id quod satis breviter & efficaciter præstat Lactantius *Instit. Divinar. Lib. 1. à Cap. 3.*, & iam laudatus Liber *Le Libertinage combattu Sc. Tom. 1. Cap. 2.*

## ERRORES.

Unicitati Dei adversantur Manichæi, cùm duo principia stånt, alterum rerum bonarum, malarum alterum.

Problemata hic nulla.

## SECTIO II.

*De DEI Essentia.*

## DOGMATA.

## 1. DEUS est, qui est.

**H**Æc Dei notio ex ipsiusmet ore de prompta est. *Exod. 3. v. 14.*  
Sensus autem ejus proprius explicabitur ex Ss. Patribus.

Cæterum non multum laborabit Theologus dogmaticus, quænam Divinæ Essentiae definitio sit ad logicæ regulas exactior, & metaphysicæ contemplationibus magis accommodata: modo adseratur talis Dei, sive *Entis à se, & omnium aliorum entium Autoris,* notio, quæ satis claram nobis, quoad ejus fieri humanitus potest, divinitatis ideam exhibeat, & ex qua inferri commodè cœtera ejus attributa queant.

## 2. Deus est incorporeus, sive expers materiæ.

Dogma hoc breviter demonstrabitur. Eruditio[n]is gratiâ addetur (1) *Quinam ex antiquis Ecclesia Patribus in ejusdem suspicionem erroris venerint, & cur?* De quo Petavius, Tournelius, Berti &c.  
(2) *Qua fuerit Idolatriæ origo, quis progressus, quantavarietas?*

## ERRORES.

## Idolatria, &amp; Hæresis Anthropomorphitarum.

SE-

(19)

### SECTIO III.

#### De Attributis DEI.

##### DOGMATA.

1. Deus in se se, quidquid esse; aut cogitari, perfectionis potest, complectitur.

Explicabuntur imprimis usitati hoc loco in scholis termini technici perfectionis simplicis, & simpliciter simplicis. Qui, si recte explicati fuerint, nihil reprehensionis merentur, quia excogitati jam dudum à viris eruditione, & tanctitate gravibus, ad res maximas brevi orationis compendio exponendas. Rursus explanabitur, quid sibi velint verba, in scholis Theologicis civitate primam donata: Perfectiones alias in Deo reperiri *virtute*, alias *eminentia*, alias *forma*.

Deinde dogma hoc primum Christianis quidem demonstrabitur ex Ss. Scripturis, & Patribus; externis vero partim ex Sapientium, etiam Ethnicorum consensu, partim ex sanctorum rationis lumine, & ex stabilitate ante Dei definitione.

2. Perfectiones, sive attributa Dei, ex Dionysii Areopagitae *Libro de Divinis Nominibus*, aliisque Ss. Patribus, sunt haec:

1. Est incomprehensibilis, 2. Omnipotens, 3. Aeternus, 4. Imensus, 5. Infinitus, 6. Immutabilis, 7. Justus, vindicatrix, & remunerator, 8. Misericors, benignus, clemens, 9. Sciens omnia, 10. Providus, 11. Sanctus. Præter innumeræ attributa alia, quæ cognoscere, & numerare omnia intellectus nullus creatus potest.

Una attributorum horum omnium in Deo existentium demonstratio est ex praecedenti dogmate. Si enim vel uno istorum careret Deus, non esset omni ex parte perfectus, ac proinde Deus non esset.

Sufficiet igitur attributorum istorum singulorum notionem brevem tradere, cum demonstratione brevi ex verbo Dei pro Christianis, ex sapientum consensu, & lumine rationis, pro externis,

Quia

Quia tamen Divina & Eternitas à Boëtio, & Ss. Patribus, passim statuitur velut fundamentum divinæ futurorum: absolororum Scientiæ, Scientia Providentia, Providentia Prædestinationis, propterea hoc attributum singulari curâ explicabitur.

*Sanctitas* item divina quia multarum conclusionum Theologicarum basis est, conveniet ejus accuratam, claramque ideam, & probationem præmittere.

De divina rerum omnium scientia, & providentia peculiares ob rei gravitatem meditationes instituentur.

3. Attributa divina sunt ipse Deus, & Deus attributa sua, unumque attributum id, quod est alterum. Hinc

#### 4. In Deo reperitur perfectissima simplicitas. ERRORES.

Refellentur breviter Marcionitæ, & Manichæi, qui detrahere Deo nisi sunt omnipotentiam: Wicleffus, & Abailardus, negantes, posse Deum plura facere, aut velle, quam fecerit nunc, aut voluerit: Sociniani, negantes Dei infinitatem: Vorstius simplicitatem: Stoici, qui negarunt immutabilitatem Dei intrinsecam: Hermogenes, qui si omnia vivit etiam extrinsecam.

#### PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. Quo sensu ex Boëtii, D. Thomæ, & Ss. Patrum, mente futura omnia sint divinæ æternitati præsentia?

2. Quæ de distinctionibus Deum inter. & Attributa, horumque inter se, scholarum catholicarum sententia magis videatur consentanea revelatis de divina simplicitate?

3. An Deus, quoties agit ad extra, producat absolutè optimum, ut affirmat schola Lulliana?

Problemata (quod semel monuisse, sufficiat) breviis expediuntur, quam dogmata. Sique contingat ob temporis angustias præteriti debere quæstionem aliquam, omittetur potius problema, quam dogma, & inter utilia minùs utili præferetur magis tale.

SE-

## SECTIO IV.

## De Divino Intellectu, ejusque Scientia.

## DOGMATA.

1. DEUS scit, & intelligit omnia.
2. Cognoscit, tum se comprehensivè,
3. Tum extra se omnia possibilia, necessariò, & contingenter; absolutè, & sub conditione, futura.

**Q**uo paō cum divina futurorum scientia concilietur creata libertas, abundè explicari solet in Philosophia.

Theologi verò magis proprium est exponere, quomodo divina scientia, una licet & simplex, pro rerum sibi objectarum varietate tamen, & vario eās cognoscendi modo, dividatur cogitatione nostrā in scientiam simplicis intelligentiæ, visionis, & illam, quā certò sciat Deus ea, quæ forent, si certa ponerentur conditiones, sive hæc scientiæ media, sive alio quocunque appelletur nomine.

## ERRORES.

Deum scire omnia inficiantur Libertini, & Sociniani. Wiccleffus, & Calvinus ex divina scientia arguunt, non esse actiones humanas liberas. Aristoteles, & Cicero, ne libertas eriperetur homini, maluerunt Deo denegare præfensionem futurorum.

## PROBLEMATA.

1. In quo medio Deus videat tam se, quām possibilia, & futura omnia?
2. An admitti in Deo possit scientia media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis?
3. An, & quæ scientia Dei sit causa rerum?

Ubi conciliabuntur inter se Patres, quorum alii dicunt, res ideo esse futuras, quia à Deo videntur; alii, ideo futuras à Deo videri, quia futura sunt.

Omittentur autem quæstiones minus necessariæ: An reperiatur in Deo species intelligibilis? An intellectus divinus (idem est de voluntate) distinguitur formaliter, aut virtualiter, tum ab Essentia, tum ab actu intelligendi?

gendi? An cognitio, quo Deus unum cognoscit in alio tanquam medio, sit scientia propriæ dicta?

Cur verò in Deo locus nec memoriae, nec discursui, nec habitudini esse possit, ex haec tenus dictis indicare paucis sufficiet.

## SECTIO V.

### *Divina voluntatis libertas, ejusque objectum.*

#### DOG MATA.

1. DEUS, quæ extra se vult, liberè vult.
2. Quædam fiunt hoc ipso, quod Deus velitea fieri.
3. Non omnis tamen Dei voluntas absolutè perficitur.

**V**eritates istæ quod faciliores intellectu sint, explicabitur, ac minime inanis esse ostendetur divisio in voluntatem signi, & beneplaciti; in antecedentem, & consequentem; efficacem, & non efficacem; absolutam, & conditionatam. Ubi tamen explanabitur, quo pacto omnis Dei voluntas sit quoad aliquos saltem effectus semper efficax.

Non abs re quoque fuerit explicare, quo sensu in Deo sint affectus, & motus voluntatis, nostris similes, e. g. amoris, gaudii, desiderii, odii, iræ, commiserationis, pœnitentiæ, aliquique id genus, quos S. Scriptura Deo sæpiissimè tribuit. Quâ de re videri potest Lactantii libellus de *Ira Dei*.

4. Deus potest velle mala *physica*, corumque auctor esse, ut est revera.
5. Non tamen velle potest mala *ethica*, sive *peccata*: neque eorum auctor esse: sed ea mere permittit.

#### ERRORES.

Liberum Dei arbitrium negavit Wicleffus: Janseniani contendunt, omnem Dei voluntatem semper impleri absolutè:

Zwingli

Zwinglius, Calvinus, Beza impiè sentiunt, Deum velle, atque animo intendere quorundam hominum peccata, eorumque auctorēm esse.

### PROBLEMATA.

1. In quo sita sit voluntatis divinæ libertas, & quo modo, tum cum summa ejus existendi necessitate, tum cum Dei immutabilitate verosimilius concilietur?
2. An in Deo extra se agente non sit libertas contradictroris, sed sola libertas à coactione, ut contendunt Lulliani.
3. An omne, quod Deo est congruum, sit itidem ei necessarium?
4. An Deus res creatas necessariò amet, an liberè?

### SECTIO VI.

#### *Providentia Dei generalis, & peculiaris.*

##### DOGMATA.

1. DEUS non tantùm prævidet omnia, sed etiam providet, & disponit circa omnes omnino rcs creatas, omnésque, etiam minimas, earum actiones.

Explicationis gratiâ declarabitur, quas in Providentiæ divinæ dispositione partes *intellectus* Dei agat, quas *volumas*, ut intelligatur facilius, quid divinam *Providentiam* inter, & *Praefidentiam* interficit.

2. Providentia Dei in suâ dispositione non fallitur, attingens à fine ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.
3. Habet Deus, quantum in ipso est, seriam voluntatem, salvandi per merita, & mortem Christi, omnes homines, eos etiam, quos prævidet damnandos.

ERRO.

Atheorum, Libertinorum, & Epicureorum, negantium DEI Providentiam: Jansenianorum, & Calvinianorum, negantium generalem in Deo, omnes homines salvandi, voluntatem.

## PROBLEMATA, &amp; QUÆSTIONES.

1. Quomodo Deus voluntate, & affectu per se efficaci dici possit velle salutem æternam infantium, qui sive Baptismo moriuntur?

2. De prædefinitione divina actuum bonorum.

In qua difficiili materia disquisitio brevis erit cum claritate, & electione illius systematis, quod præ reliquis videbitur consentire S. Scripturæ, & Patribus, & cum libero hominis arbitrio aptius cohærere. Non recoquuntur tamen hoc loco, sed veluti in Philosophia iamtum ventilata postulabuntur ea, quæ de Prædeterminationibus physicis, & de divino in omnes libertatis creatæ actiones concursu, solent disputari.

## SECTIO VII.

*De Divina Prædestinatione.*

## DOG MATA.

1. Est æterna Dei Prædestinatio circa *eventus naturales, arbitrio humano superiores.* e. g. honores, vel contemptus; divitias, vel paupertatem; morbos, vel sanitatem; vitam, vel mortem.
2. Ad fidem salvificam, & alias primas,
3. Ad gratiam sanctificantem,
4. Ad donum perseverandi in hæc gratia usque ad vitæ finem.
5. Denique ad cœlestem gloriam.
6. Hæc Dei Prædestinatio complexa usque adeò gratuita est, ut homo non modo non ex solis naturæ

viribus, sed neque per ulla opera pia supernatura, possit eam condigne mereri.

7. Certus, ac definitus est Prædestinatorum numerus.

8. Nemo sinè peculiari revelatione potest de magno Prædestinationis dono certus esse.

Adferentur tamen signa quædam, ex quibus haberi possit probabilis conjectura Prædestinationis. Ostendentur item opportunitate Prædestinationis effecta.

9. Homo Prædestinatus ad unum, manet tamen liber ad alterutrum.

### ERRORES.

Origenes finxit, animas ante suum in corpora ingressum exercuisse quædam opera, vel bona, vel mala; propter quæ hi præstinentur, illi reprobentur. Occurrit item error Prædestinationum, Valentinianorum, Semipelagianorum, Wicleffistatum, Calvinianorum, Jansenianorum.

### PROBLEMA.

An Prædestinatio ad gloriam fiat ante, vel post prævisa metita?

Variæ hac super re Doctorum Catholicorum sententiæ, quas Ecclesia liberè doceri permittit, referentur quidem: illis tamen, quæ nobis non probantur, refellendis non multum immorabitur. Potius systema illud, quod cum omnibus Catholicæ fidei principiis maximè consentire videbitur, stabilietur, ac probabitur.

## SECTIO VIII.

*De Divina reprobatione.*

## DOGMATA.

3. Multi quidem sunt vocati, pauci verò electi.  
Electos prædestinat Deus, non Electos reprobat.
2. Reprobare est permettere aliquos à fine præordinato deficere. *S. Thom. part. 1. quest. 23. art. 3. in Corp.*

*Corollarium.* Sicut ergo prædestinatio est pars Providentie divine respectu eorum, qui divinitus ordinantur ad æternam salutem; ita reprobatio est pars providentiae respectu illorum, qui ab hoc fine deficiunt. *Ibid.*

3. Reprobatio includit duo: voluntatem, quâ Deus permittit aliquem cadere in culpam, & quâ infert damnationis poenam pro culpa. *Ibid.*

Ob hoc ultimum dicitur reprobatio positiva, quam Magister Lib. 1. Dist. 40. sic definit: *Est præscientia iniquitatis quorundam, & preparatio damnationis eorundem.* Huic contraponunt negativam, quæ Scoto est negatio volendi gloriam.

4. Reprobatio non est causa culpa, sed pena.

5. Causa reprobationis positiva est peccatum mortale.

## ERRORES.

Calvinistarum, qui durissimè docent, certos homines ante prævisa eorum demerita positivè destinatos esse ad infernum.

## PROBLEMATA, &amp; QUÆSTIONES.

3. Quo sensu procedat similitudo figuli, facientis ex eâdem massâ vas in honorem, aliud verò in contumeliam. *ad Rom. 9. v. 23.*

f. Quo

2. Quo sensu applicabilis sit ad reprobos illud ibid. v. 13. *Esa*  
*autem odio habui.*
  3. Quid sit deleri de Libro vite? quod pulchre explicat D. Thom.  
*Quæst. 24 art. 3.*
  4. An & qualis reprobatio negativa in Deo admitti possit?  
Hæc tenus recensita absolvuntur circa initium Junii.
- 

## PARS ALTERA.

### *De DEO Trino.*

**S**icut in universa Theologia dogmatica tria observanda sunt: (1) ut dogmata segregentur ab opinionibus. (2) ut ratio cedat divini verbi auctoritati; (3) ut, quoad ejus fieri potest, scripturarum, & Patrum ipsissima verba retineantur, neque eis substituantur nostra: ita hæc tria vel maximè retinenda erunt in hoc inscrutabili Mysterio Sanctissimæ Trinitatis. Interiusculpandi haud sunt Theologi, qui vestigia Patrum secuti, desudant in causa hujus Mysterii investigandis, easque proponunt, non ut decretorias.... sed, suppositâ Fide, ne probibiles, inquit Billuart Tom. 3. in t. p. Diss. 2. art. 5.

### SECTIO I.

#### *Mysterium Ss. Trinitatis.*

##### DOGMATA.

1. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater,  
Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.

*I. Joan. 5. v. 7.*

Ubi vindicanda erit Textus hujus authenticæ, quamquam is non reperiatur in quibusdam editionibus græcis: de quo præclarè Calmet. in *Dissert. Novi Testam.*

2. Tres sunt in Deitate Personæ, sive *Hypostases*, non solo nomine, officio, & solâ cogitatione nostrâ, distinctæ, sed etiam reipsâ.

3. Una tamen in Tribus hisce Personis Essentia, substantia, seu Natura simplex omnino.

Commemorari hoc loco poterit, cur, & quo sensu nonnulli Patres græci tres in Deo Substantias dicendas esse, contendenterint.

4. Tres hi sunt *ipsas*, seu Consustantiales, æquales divinitate, æternitate, omnipotentiâ:

*Corollarium.* Ideò in DEO Trinitas, non Quaternitas.

### ERRORES.

Judæi, Mahometani, Sabelliani, inficiantur Trinitatem Personarum Divinarum: Samosateniani consubstantialitatem.

### PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. An Mysterium divinæ Trinitatis possit ex rationis naturæ lumine demonstrari, ut affirmant Lulliani?

2. Utrum reperiatur in Deo subsistentia absoluta, communis omnibus Personis?

3. Sintne in tribus Personis tres subsistentiæ, existentiæ, perfectiones personales, reapse distinctæ?

Monet Suarez Lib. 3. de Trinit. Cap. 4. s. 6. Non posse has quæstiones omnino prætermitiri, quia necessaria sunt, vel utiles, ad explicandam exactius distinctionem Personarum Divinarum.

## SECTIO II.

*Personæ sunt eadem cum Divina Essentia.*

### DOGMA.

Una summa res, sive divina Essentia, est eadem tribus Personis, licet reapse inter se distinctis. Et Personarum, quamvis inter se distinctarum, quælibet est eadem huic uni Essentiæ. Cap. Firmiter de Sum. Trinit.

Tritheitarum, negantium *unitatem Personarum in una, eademque natura*, ad quorum classem videtur accedere Joachimus Abbas, in suo contra Petrum Lombardum libello: ubi docet, *unitatem Personarum in Deo non esse veram, & propriam, sed quasi per collectionem, & similitudinem.*

PROPOSITIO DAMNATA.

Joachimi in Concilio Lateranensi: *Nullares est, quae sit Pater, & Filius, & Spiritus S., nec est Essentia, nec substantia, nec natura.*

Ubi breviter poterit ex Historia Ecclesiastica disputari de bona fide, & sanctitate Joachimi Abbatis. Quo de argumento consuli poterit Amat de Graveson in Hist. Ecclesiast. Quem Autorem, ut & Pagii Criticam Baronii, & Du Ménil Historiam de Doctrina, & Disciplina Ecclesiastica; Cabassutum, Thomassinum, & Cardinalis Prosperi Lambertini, nunc Benedicti XIV. Papæ, Institutiones Ecclesiasticas, utile erit Theologo dogmatico manu versare identidem.

PROBLEMATA.

1. Utrum in Deo verè sint, & dici possint tres Essentiae propriae, quæ simul sint una Essentia communis?

Quâ in questione, aliisque similibus, ea cautio adhibebitur, ut non modo cum Ecclesia, & S. Patribus sentiamus ad unguem, sed etiam loquamus, nec aliis utamur loquendi formis, quam quas perpetuus Ecclesiæ Catholicæ usus probaverit.

2. Quâ scholarum sententiâ commodissimè salventur propositiones sibi contradictentes in speciem, quæ versantur hinc circa divinam Essentiam, inde circa Personas, e. g. hæ: *Natura Divina non est generans; Paternitas est generans.*

SECTIO III.

Fundamentum distinctionis Personarum Divinarum inter se.

DOGMA.

IN DEO omnia sunt unum, nisi ubi occurrit oppositio Relationis.

Ex.

Explicabitur hoc loco opportunè, quot sint intra Deum Relationes, & cur hæ solæ? quodnam in Divinis sit discrimen inter Relationem, Notionem, & Processionem? Quodnam sit Processionum principium? Per quid constituantur, & distinguantur inter se Personæ divinæ?

**Corollarium.** Propterea, ubi in Divinis reperitur ad intra oppositio Relationis, illic resultant Personæ, non solo nomine, aut cogitatione nostrâ, sed reâpsè etiam, diversæ.

### ERRORES

Privatorum Doctorum Catholicorum, *Præpositivi*, & *Gregorii Ariminensis*.

### PROBLEMA.

Utrum in hypothesi, quâ Spiritus S. procederet à solo Patre, superesset nihilominus fundamentum dicendi, Spiritum S. esse reâpsè distinctum à Filio?

Monent Suarez *Lib. 9. de Trin. Cap. 2. n. 1.* Card. Gotti *Tom. 1. Tract. 7. q. 6. dist. 3. §. 1.* Berti *Lib. 3. Cap. 9.*, non esse prætereundam hanc quæstionem, velut inutilem, aut superfluam. Plurimum enim conductit, partim ad intelligendam penitus naturam Processionis Spiritus S., & radicem distinctionis inter divinas Personas; partim, & præcipuè, ad perspiciem clariùs vim rationis, quâ PP. latini, & Concilia, præsertim Florentinum, utuntur contra Græcos, ad probandam processionem Spiritus S. à Patre, & Filio. Et propter hanc causam, inquit Suarez *l. c.*, graviores Theologi soliciti fuerunt de illa quæstione hypothetica. Quia, licet ex hypothesi impossibili procedat, tamen virtute continet categoricam quæstionem: an adequata radix distinctionis Personarum sit processio?

### SECTIO IV.

#### *De Persona Patris.*

#### DOGMATA.

1. Pater est ingenitus.

2. Genuit ab æterno Filium.

3. Ita,

3. Ità, quidem, ut & Filius, sive ulla diminutione, nascendo substantiam naturae Divinæ à Patre accepit, & Pater eandem sive ulla diminutione retinuerit.

## ERROR

Forē Patrem vocare causam Filii. Excusandi tamen quidam Patres Græci, qui Patrem dicentes causam Filii, causa nomen molliius usurparunt pro Principio.

## SECTIO V.

## De Filio DEI.

## DOGMATA.

1. DEI Filius est unigenitus, ex Patre natus, non factus, ante omnia secula.

2. Opere, sive consubstantialis, Patri, Deus de Deo, Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero.

Explicabuntur itidem Scripturæ, & Patres, à quibus Filius vocatur Verbum Divinum, Sapientia, Imago Patri, &c.

3. Omnia per ipsum facta sunt.

## ERROR

Arianus, & SemiArianus hic potissimum profigabitur Historiâ dogmaticâ Arianismi breviter expositâ. Occurrunt etiam Samosateniani. PROBLEMATA.

1. Ex historia critica disquiretur: An Liberius Papa Arianus impietati unquam per sententiam decretoriam subscriperit?

Hæ, similèque questiones de summis Pontificibus quibusdam, qui accusantur à nonnullis, quasi apertos aliquos contra Fidei orthodoxam errores probâssent, multum utilitatis habent, ad ventilandam illam, alibi occurrentem, famosam questionem, de falli nesciâ summorum Pontificum in dijudicandis, & definitiendis rebus Fidei auctoritate.

2. Cur solus secundæ Personæ processio vocetur, & sit generatio?

Questio illa. Ex quarum rerum cognitione nascatur Filius, aut omitetur penitus, aut brevissimè saltem absolvetur.

SE

## SECTIO VI.

*De Spiritu sancto.*

## DOGMATA.

1. Spiritus S. est Deus, Dominus, & vivificans, cum Patre & Filio simul adorandus, & conglorificandus.
2. Ex Patre, Filioque procedens.
3. Creator.

## ERRORES

Macedonii, negantis Spiritum S. esse Deum : Græcorum, inficiantium, procedere eum à Patre, Filioque.

Secernendi tamen Græci à Græcis. Alii quippe agrè duntaxat tulerunt, quòd particula Filioque inserta fuerit Symbolo. Alii falsam quoque esse asseruerunt. Ubi referentur ex Historia contentiones, hac super re Græcos inter & Latinos ortæ ; quinam Patres, & Theologi, tum aliis in Conciliis, tum in Florentino, argumentorum suorum pondere Græcos efficacissimè presserint.

## QUÆSTIO.

**C**ur Spiritus S. Processio sit spiratio potius, quam generatio.

Exponentur pariter hoc loco verenda nomina, quibus Spiritus S. salutatur E. g. Paracitus, Digitus Paterna dexteræ, Spiritualis unctio, & similia.

Quæstio illa, an Pater. & Filius sint unum Spiritus S. principium, quatenus est sola Doctores inter Catholicos de voce contentio (vid. Vasquez Tom. 2. Disp. 149.) omittetur : quatenus verò continet Græcorum adversus doctrinam Fidei argutiam ; in ipsa dogmatibus disceptatione inter alia Græcorum argumenta ventilabitur. Quod similiter observabitur in aliis rebus, ut quæstiones tales contrahantur in modum & censem objectionum.

## SECTIO VII.

*Reliqua de Personis Divinis.*

## DOGMA.

1. Personæ divinæ se circumcidunt invicem, id est, singulæ existunt in singulis.
2. Ita-

2. Itaque per circummissionem tres Personæ di-  
vinæ fuerunt in utero B. MARIAE Virginis, &  
sunt in CHRISTO Domino, ac proinde etiam  
in S. Eucharistia.

3. Personæ divinæ aliaæ alias miserunt ad nos ho-  
mines.

Explicabitur, cui Personæ competat mittere, vel mitti.


4. Habitant in hominibus justis, juxta illud: *Ve-*  
*nimus, & mansionem apud eum faciemus.*

5. Personæ divinæ quidquid ad extra faciunt, est  
opus Personis omnibus commune.

Exponetur tamen, quo sensu Ecclesia, & Patres, certa quædam  
opera tribuant Patri, quædam Filio, quædam Spiritui S.

#### PROBLEMA.

An mansio divinarum Personarum in homine justo sit per  
substantiam, an verò per solam virtutem, sive gratiam? Ubi  
quoque, quid sibi velint verba Episcopi, Sacerdotio initiantis  
Clericum: *Accipe Spiritum sanctum.*



## TRACTATUS II.

*De Angelis, Homine, Beatuscione, & Actibus  
humanis.*

### P A R S I.

#### *De Angelis.*

**A** DEO, rerum oranium auctore, & gubernatore Opt. Max.  
ad nobilissimum, & præcellentissimum ejus opus Theolo-  
gia dogmatica progreditur, puta ad Angelos: quos omnes qui-  
dem Deus valde bonos condidit, sed suāmet multos culpa-